

asserimus; cum, quem Deum sub primo ac præcipuo ejus prædicato inficiatur, sub alio, legislatoris scilicet aut legis supremæ, implicite agnoscat.

*Ad 2<sup>um</sup>. D.* Potest ad breve tempus dari ignorantia Dei in homine, qui et quando moraliter non agit, nec formaliter peccat. *C.* quando moraliter agit et peccat *N.* Tunc enim se omnemque creaturam rationalem obligari, sive supremum legislatorem seu Deum agnoscit.

*Ad 3<sup>um</sup>. D.* Status controversiae ponitur cum hypothesi: si homo invincibiliter Deum ignoret omnimode et simpliciter *N.* secundum quid, nempe quoad aliquā prædicata alias prima *C.* Omnimoda ignorantia supponi non debet; quia haec hypothesis in praesenti quæstione destrueret se ipsam, ut ait GORMAZ, et ex dictis constat.

*Inst. 4.* Reperire est homines in Indiis, aut alibi enutritos in sylvis, qui legem naturæ penitus ignorant. *2.* Dantur rudes, qui non agnoscunt sibi aliud prohibitum, nisi ab hominibus. *3.* Gentiles olim, præter Jovem alias falsos Deos, verum Numen non cognoverunt: horum autem peccata non possunt dici *formales* offense Dei; ergo.

*R. Ad 1<sup>um</sup>. D.* Reperire est homines rationis minus compotes tum ob nullam morum culturam, tum ob ingenii mentisque hebetudinem, et organorum ad animæ functiones ineptitudinem, qui etc. *C.* homines rationis compotes *subd.* qui ignorent legem naturæ quoad aliqua, et conclusiones particulares ac secundarias *C.* qui invincibiliter ignorent legem naturæ quoad omnia, et prima ac universalia principia *N.* Si primi generis homines huc proferas, illos potius ad infantes, vel perpetuo amentes, vel demum ad ipsa bruta pertinere dicimus: si vero rationis compotes statuas; concedes etiam, *signatum esse super illos lumen vultus divini*, et eorum *cordibus inscriptam legem* ab Auctore naturæ, cum ratio humana et lex Dei inter se inviolabili nexu colligentur.

*Ad 2<sup>um</sup>. D.* Dantur rudes, qui non agnoscunt immediate sibi esse prohibitum quidpiam, nisi ab hominibus *C.* mediate *N.* Sicut is, qui aliquid committit immediate a lege ecclesiastica prohibitum, agnoscit idem saltem mediate prohiberi a Deo: sic etiam rudis agnoscens rem ut immediate prohibitat ab homine nullatenus esse licitam, facile et satis agnoscit eamdem, ut mediate prohibitam ab altiori lege.

*Ad 3<sup>um</sup>. Ex eo, quod Gentiles malum putabant, si quid voluntati Jovis alteriusve fictitii Numinis contrarium agebant, agnoscabant profecto agere se contra supremum legislatorem, licet hunc erronee cum Jove confunderent. Idem dicendum est in casu, quo rudis ponitur existimare, quod hominis cuiusdam legem nulla omnino ratione violare liceat; quia tunc hominem hunc ipsum sua opinione *implicite* Deum facit.*

*Inst. 2.* Ad offensam *formalem* Dei requiritur vel actualis vel virtualis ac remissa advertentia ad Deum. Sed dantur actiones humanæ etiam deliberatae contra dictamen rationis absque ulla ejusmodi advertentia, ut ex facta postmodum reflexione constat; ergo. *Conf.* Ut quis bene agat, non est opus, ut ad prædicatum cum Deo convertibile discurrendo pertingat; sed sufficit, quod cogitet aequum v. g. esse, ut alteri præstet, quod sibi fieri vult. Ergo et ad peccandum non opus est illo discursu, quo quis cogitet, hoc esse illicitum et nullatenus perpetrandum, consequenter prohibitum a voluntate superiori.

*R. D. M.* Requiritur actualis vel virtualis, eaque expressa et sub conceputu primario aut formalis ad Deum advertentia *N.* actualis vel virtualis, sed confusa duntaxat, implicita ac sub conceptu convertibili *C. M.* sed *N. min.* Postremam enim notitiam a peccante abesse non posse, jam dictum est sæpius: eamdem vero sufficere, patet ex paritate Sacerdotis peccantis contra castitatem, cuius peccatum est sacrilegium; quia confuse saltem et exercite cognoscit, se esse voto obstrictum. *Nec dicas*, id quidem tenere in eo, qui Deum Deique legem antea cognoverat: non autem, ubi quis horum ignorans fuerit. Nam paritas allata fundatur in implicita et exercita advertentia, quam peccanti adesse, in assertione theseos probatum fuit.

*Ad Conf. N. A.* Ut quis moraliter bene agat, non sufficit quæcumque cognitio et libertas, sed requiritur advertentia ad regulam morum. Hæc vero est lex æterna Dei; ergo ut cognoscatur aliquid aequum esse, ad prædicatum cum Deo convertibile pertingi debet.

*Inst. 3.* Ut rex dicatur *formaliter* offendì a subdito, requiritur illum cognosci ut regem, aliqui non diceretur offensa regia; ergo et ut Deus dicatur offendì formaliter, debet cognosci ut Deus; quod non sit ab advertente tantum, se agere contra rectam rationem.

*R. D. A.* Ut rex directe, personaliter et in individuo dicatur formaliter offendì, requiritur etc. *C.* ut rex simpliciter dicatur offendì formaliter *subd.* requiritur, illum directe, immediate et in se cognosci ut regem, seu quod hic numero homo sit rex *N.* saltem mediæ, indirecte et in dignitate convertibili cum rege *C.* Esto, quod non omne peccatum dicat formalem offensam Dei directam, seu contra Deum *directe*, personaliter et in se cognitum commissam; semper tamen est saltem *indirecta*, et cognoscitur contra supremum caput et legislatorem totius reipublicæ rationalis committi, quo nomine et Deus et Dei offensa satis intelligitur.

*Inst. 4.* Qui occidit hominem, quem putabat esse feram, non committit homicidium formale: *Item* non perpetrat sacrilegium formale, qui furatur rem, quam nescivit esse sacram; ergo a pari. *Conf.* Qui exercet actionem malam, nesciens illi connexam censuram, hanc nec incurrit, nec formaliter violat legem ecclesiasticam; ergo similiter.

*R.* Si, quod fieri omnino potest, in utroque casu *antecedentis* supponatur hominem aut rem sacram nullo prorsus modo cognosci, verum quidem est *antecedens*, sed nulla *paritas*; suppositum enim consequentis falsum est, nempe quod ne implicite quidem cognoscatur Deus.

*Ad Conf. R. 1<sup>o</sup>.* Probas nimium. Sequeretur enim, quod nesciens actioni a lege divina prohibita annexum esse reatum culpæ et pœnae, hunc non incurreret; cum tamen uterque per se sequatur peccatum, et velit etiam effectum is, qui causam per se sciens prudensque ponit.

*R. 2<sup>o</sup>. N. Conf.* Peccatum ex se et natura sua non connectitur cum censura, quæ est poena extraordinaria, sed ex libera duntaxat voluntate superioris Ecclesiastici, qui præterea solum contumacem, et sic directe scientem ac advertentem, ligare intendit. *Dispar ratio* est in nostro casu, ubi rationis dictamen arctissime necit cum lege divina, adeoque actio rectæ rationi contraria a violatione hujus legis et legislatoris offensa separari nequit.

QUERES I. Quidnam circa peccatum pure philosophicum sit constitutum?

11. Nota. Alexander VIII. S. P. An. 1690, 24. Augusti, damnavit hanc inter duas propositiones secundam: *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divina legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pena aeterna dignum.* Occasionem huic damnationi dederunt, ut refert Dominic. Viva in Trutina Theologica, quedam theses publice propositae An. 1686. a quodam Professore Societatis Divinae in Gallia; in quibus licet haec thesis, prout jacet, non reperiatur, nihilominus paucis per invidiam mutatis in hanc propositionem una ex eis concinnata fuit; cum reipsa mens Professoris in manuscriptis expressa et verba theseos propositae sensum longe alium haberent, quam quem proscriptae propositionis verba faciunt. Censura autem relatae propositionis fuit, quod sit scandalosa, temeraria, piarum aurum offensiva et erronea. Quia tamen tres partes, una scilicet de peccato theologicō et mortali, due de peccato philosophico in exposta propositione continentur, exponentum restat, quamnam censura recipita afficiat. Itaque

12. R. I. Pars una de peccato theologicō et morali, quod nempe hoc sit *libera divina legis transgressio*, non subjacet censura, nec digna est censura nisi forte philosophica diminutionis et insufficientiae. *Ratio primi*; quia haec notio revera convenit peccato theologicō et mortali, ut ex hoc usque dictis constat, et ex ipsa propositionis damnatione manifestum est. *Ratio secundi*; quia juxta communiorē, ex eo quod peccatum sit libera legis divinæ transgressio, non habet præcise, quod mortale, sed quod theologicum sit, etiam præscindendo a mortali et veniali.

R. II. Pars 1<sup>a</sup>. de peccato philosophico, quod nempe hoc sit *actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi*, scilicet *soli*, etiam non subjacet censura, quatenus nomenclaturam illius peccati explicat. *Ratio est*; quia acceptiōnem vocis et considerationem recte exponit, et indicatur a D. THOMA, num. 3. relato.

R. III. Pars 2<sup>a</sup>. de peccato philosophico, quae in postremo committetur, ut jacet, censuram sustinet et meretur. *Ratio est*; quia, ut ait LA CROIX L. 5. num. 58. sic non facit distinctionem inter ignorantiam et inadvertientiam ad Deum vincibilem et invincibilem, et de utraque æquale intelligi potest: multo minus indicat aut supponit impossibilem esse ignorantiam Dei invincibilem; sed potius videtur ansam dare iudicandi, eam esse vincibilem, qua posita non est excusatio ab offensa Dei et reatu penae aeternae.

Præterea, ut addit MAYR hic num. 21. abstrahit a sensu conditionato et absoluto, a possibiliitate et existentia peccati philosophici, adeoque legenti ingerere potest opinionem, talia peccata frequenter dari posse. Hinc vero recte deducit Viva justitiam condemnationis quoad censuras singulas, et thesis nostra prioris articuli validissime robatur.

R. IV. Si pars postrema sic limitetur ad sensum mere conditionatum: peccatum philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat invincibiliter, vel de eo nullo modo, nec quidem implicite, inculpabiliter cogitat, non est *formalis* offensa Dei, etc.; propositio sic limitata illa damnatione non comprehenditur.

*Ratio est*; tum quia certum est ex propositione inter 31. ab Alex. VIII. damnatas 2<sup>a</sup>, invincibilem juris naturae, adeoque et Dei ignorantiam a peccato formaliter excusare: tum quia idem Pontifex propositionem de peccato philosophico damnat tanquam *de novo et ex Orco emersam*; propositio autem his limitibus circumscripta pridem ante a multis viris gravissimis fuit tradita, et ipse S. THOMAS eam docuisse videtur 2. 2. q. 20. a. 3. in 6. ubi ait: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale*: tum quia ex hypothesi hac mere speculativa, quæ revera non tantum moraliter sed et metaphysice impossibilis a communiori asseritur, nihil eorum sequitur, propter quæ damnatio inficta fuit. Atque in hoc sensu cum aliis etiam e Societate nostra locutus est ille Professor, ut VIVA l. c. ostendit.

QUERES II. In quo sit *formalis malitia peccati*.

13. R. I. *Formalis malitia peccati commissionis* adæquate consistit in positivo, scilicet in libera tendentia actus in objectum prohibitum.

*Prob.* Talis tendentia positiva formaliter censit actum in genere moris, non vero in genere boni, ergo *malum*. Videlicet sicut actus fit moraliter *bonus* per hoc, quod fiat scienter et libere a voluntate secundum legem operante; ita fit moraliter *malus* hoc ipso, quod fiat a voluntate libere et scienter operante contra legem.

*Si ais*: Sancti Patres, cum de peccato loquuntur, aiunt, illud esse *nihil, non ens*; ergo statuum formale peccati in privativo.

R. 4<sup>a</sup>. D. A. *Aiunt esse nihil et non ens*, h. e. negant esse substantiam in sensu Manichæorum. C. negant esse actum oppositum nihilo N. Manicheis quedam substantiae ex natura sua malæ dicebantur productæ a principio malorum, quod negabant Patres, et hinc etiam negabant, peccata esse substantias.

R. 2<sup>a</sup>. D. C. Ergo statuant seu explicant peccatum formaliter ac in se ipso per privativum N. consecutive et in effectu, scilicet per consequentem peccatum privationem C. patet ex eo, quod sancti Patres hic sæpius intelligent privationem gratiæ, ac defectionem a Deo. Sane Patres nunquam attigissent hanc subtilitatem scholasticam, nisi eorum scopus adversus Manichæos juxta datam hactenus explicationem id postulasset.

14. R. II. *Omissio* etiam sola actionis præceptæ est peccatum, et formaliter stat in quasi positivo.

*Prob.* 1<sup>a</sup>. p. Omissio etiam sola est legis transgressio: si enim non sit, fieri poterit, ut actio præcepta, urgente præcepto, omittatur sine peccato, id quod latam aperiret portam ad quasvis leges præcipientes negligendas.

*Prob.* 2<sup>a</sup>. p. Sola omissio actus, quin et ipsa negatio tendentiae in objectum imperatum, est tantum materiale seu subjectum peccati, quod ad rationem

peccati formaliter talis determinatur per hoc, quod illa omissio sit, dum voluntas actum posset ponere, et advertit ac scit obligationem hanc ex lege ad ponendum actum; hic autem modus *moraliter, interpretative et æquivalenter* positivus est.

## ARTICULUS III.

## AN OMNIA PECCATA SINT ÄQUALIA.

15. *Nota.* Stoicorum paradoxum, qui teste TULLIO in Or. pro Muren. et Parad. 3. inæqualitatem peccatorum sustulerant, adoptavit presertim Jovinianus, contra quem L. 2. n. 21. S. HIERON. agens inquit: *De eo aulem quod niteris approbare, convitium et homicidium, rāca et adulterium, et otiosum sermonem, et impietatem uno suppicio repensari, jam et supra tibi responsum est.* Quamvis vero, sicut hereticus ille beatitudinis æqualitatem affirmabat, ita etiam hic de asserta duntaxat supplicii æqualitate intelligendus, atque hinc ad questionem de peccato mortali infra instituendam rejiciendus videatur; præmittendum tamen hic examen de ipsorum peccatorum nativa inæqualitate judicamus, cum S. AUG. L. de Hæres. c. 82. de Joviniano dicat: *Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat.*

16. *Dico.* Non omnia peccata sunt æqualia. Est de fide.

*Prob.* Joan. 19. fit mentio majorum minorumque peccatorum. v. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et Jerem. 7. v. 26. dicitur: *Pejus operati sunt, quam patres eorum.* 1. Joan. 5. fit mentio peccati, quod est et non est ad mortem. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Fit mentio peccati, quod meretur majorem vel minorem poenam, quod remittitur, vel non, hoc est, difficillime remittitur, Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus est iudicio: qui autem dixerit fratri suo, rāca, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et ib. c. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Sp̄ritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.*

*Conf.* Tum quia ex peccatis alia mortalia sunt, alia venialia; tum quia lumini rationis contradicit, ejusdem esse criminis, nec plus mereri poena homicidium, quam colaphum aut convitium; tum quia quædam multiplici honestati, ut adulterium, aut nobiliori honestati ac virtuti, ut odium Dei, opponuntur.

17. *Obj.* Fundamentum Stoicorum est, quod recta ratio sit instar lineæ, quam æque transiliunt, quicumque peccando illam transiliunt. *Conf.* Peccatum est privatio; sed privatio una non est major altera, v. g. mors morte; ergo.

*Fundamentum Joviniani* est, quod in Scriptura tantum duo ordines hominum constituantur, bonorum scilicet et malorum, Matth. 25. v. 33. *Statuet oves a dextris suis, hædos autem a sinistris.* *Conf.* S. BASIL. in reg. brev. resp. ad interr. 293. dicit, differentiam majorum et minorum peccatorum nusquam in novo Testamento inveniri.

R. *Ad Fund. Stoic.* D. Tō æque appellante peccantes C. appellante modum N. omnes quidem et singuli, qui transgreduntur, lineam hanc transiunt, sed non omnes et singuli æqualiter, aliis longius, aliis proprius abeuntibus; in quo sicut a centro magis aberrari, sic in moralibus a ratione discedi et peccari potest.

*Ad Conf. Omissa M.* de qua supr. dictum, cum S. TH. hic q. 73. a. 2. in 0. D. min. Privatio simplex et pura non est major vel minor C. privatio non simplex nec pura N. Per primam privationem intelligit S. Doctor illam, cuius oppositum est indivisible, aut certe per privationem ita tollitur, ut nihil ejus remaneat; talis est mors respectu vitæ vel animæ: per secundam intelligit, cuius oppositum est divisibile, aut saltem non totaliter tollitur; qualis est ægritudo respectu sanitatis. Ejusmodi etiam est peccatum, quia forma, qua privat, nempe honestas, non stat in indivisibili, sed est multiplex tum in qualitate tum in quantitate; potestque jam unius jam plurium circumstantiarum defectu peccari.

R. *Ad Fund. Jov.* Hoc nihil impedire, quominus sub utroque illo ordine reperiantur variae differentiae. A Christo etiam statuuntur duo ordines servorum, bonorum scilicet et nequam, et tamen Luc. 12. v. 47. ait: *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

*Ad Conf. Expl.* Dicit hoc monendo, ut homines etiam abstineant a peccatis minoribus, contra ac sentiebant, qui cavebant a peccatis quidem majoribus, minora vero, quasi peccata non forent, amplectebantur C. alio sensu, et asserendo peccatorum æqualitatem N. Sane alias ad silentium novi Test. provocare non potuisse.

18. *Observa.* S. THOMAS plura capita assignat, unde inæqualitas peccatorum repetatur. 1º. Est *objectum*, quod, quo nobilior est, si oppugnatur aut lèditur, eo gravius etiam est peccatum. Huc reducitur *nocumentum* ex peccato sequens saltem confuse prævisum: *circumstantiae morales*: ac etiam *oppositio virtutum*, de quibus S. Doctor in diversis articulis agit. 2º: *Conditio actus*, qui, quo liberior, majore cum advertentia, intensior aut diuturnior est, eo magis Deo displicet. 3º: *Conditio personæ*, tum *quaæ* peccat, tum *in quam* peccatur. In priori autem attenditur *facilitas resistendi, ingratitudo, specialis repugnantia status* cum peccato, scandalum. In posteriori distinguuntur Deus, aut persona Deo propinquior: peccans ipse, aut conjunctus cum peccante, persona publica etc. de quibus in Th. Mor. Eadem suppeditabit scitu necessaria de distinctione tum specifica, tum numerica peccatorum.

QUÆRÈS: *Sitne peccatum in aliqua ratione infinitum?*

19. R. Peccatum nec quoad malitiam, seu intuitu legis, nec quoad offendit, seu intuitu personæ offendit, est simpliciter infinitum.

*Prob.* *Forma* constituens peccatum in ratione malitiae vel offendit est finita, utpote modus, quo actus scienter et libere fit contra legem Dei; ergo ipsa etiam malitia et offensa. *Objectum* quidem infinitum est; at non men-